



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Antipharmacum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40295

ad alia sacerdotalia munia obeunda | vocari | vocatasque absq; vlllo obstaculo his functionib. fungi posse. Et quãuis se ingerant absq; vocatione & necessitate; Lutherus tamen etiam tunc, cum has duas condiciones requirit: (tamen si sæpe non requirit) nec baptismũ, nec cœnam, nec vllam aliam sacerdotalem, actionem à muliere obi, tam in dubium reuocat; sed vt validam subsistere sinit. At de hac Lutheri deliratione pluribus actum est in prædicantibus Muricibus.

Hunnius Tract. de Sacramentis, cap. 13. de Baptismo, à magistri sui Lutheri placito, toto cœlo diffidet. Negat enim, mulieres, etiam in articulo necessitatis, cœnam parare & administrare posse: hancque consecutionem inficiatur: *Mulieres, necessitate exigente, licitè & validè baptizant: ergo cœnam quoq; parare & administrare possunt, si hoc articulus necessitatis efflagitet: Ait enim, Eucharistia Sacramentum haud esse tanta necessitatis, quanta sit baptismus; ac proinde hanc mulieribus rectè permitti; non autem administrationem Eucharistie. Quæ quàm cum Luthero consonent, viderint Hunniani pulli, collatis cum Hunniana assertione iis, quæ antea ex Luthero attulimus.*

Quæritur XVII. Vtrum paterfamilias possit in necessitate administrare cœnam priuatim familiæ suæ. Negat Lutherus in colliquiis Sympos. Germ. Tit. de Sacramento Altaris; quod talis careat vocatione. Secundò quia multi hac ratione ministros Ecclesiæ contemnerent, nec ad eos confugerent; sed ipsi sibi cœnam pararent.

Antipharmacum.

QVAM hæc consentanea sint iis quæ ex captiuitate Babylonica, & ex libello de instituendis Ecclesiæ Ministris

niſtris recitauimus, per ſe liquet vel obiter Lutheri primos enthuſiaſmos intuentibus: ſed Lutherus eam gratiam apud aſſeclas ſuos reperit, vt ei nullam inconſtantiã dent probro ac crimini.

Quæritur XVIII. Vtrum eſſet verum Sacramentum (Lutheranum) ſeu cœna, licet à Diabolo conficeretur. Quid ad hanc Quæſtionem reſpondendum ſit, docebit te Lutherus ita in libro *de miſſa priuata & vnctiõne ſacer-* Tom. 2. Lat.
VViſteberg.
tali ſcribens. Ego non dicam, quod Papifta dicunt, nullum Angelorum, ne Mariam quidem ipſam, &c. conſecrare poſſe; & cõtra dico; ſi Diabolus ipſe veniret (ſi modo præ malitia poſſet rebus Dei tam diu intereſſe) ego autem pono, vt poſtea reſciſcerem Diabolum ſic irrepiſſe in officium Paſtoris Eccleſiæ, in ſpecie hominis vocatum eſſe ad Prædicandum, & publicè in Eccleſiã docuiſſe, baptiſaſſe; celebraſſe Miſſam, abſoluſſe à peccatis, & tali munere functum eſſe iuxta inſtitutionem Chriſti, tunc cogere mur fateri, Sacramenta ideo non eſſe in efficacia: ſed verum Baptiſimum, verum Euangelium, veram abſolutionem, verum Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti nos accepſiſſe. Fides enim noſtra, dignitas & efficacia Sacramentorum, non nituntur qualitate perſonæ, ſiue bona ſit ſiue mala, vnctã vel non vnctã, vocata legitime vel non vocata, Satan vel Angelus, ſed nititur Chriſto, & verbo eius, Chriſti que mandato & ordinatione, ubicunque illa ſunt, ibi ſunt vera Sacramenta, perſona qualiscunque tandem ſit, aut eſſe poſſit.

Hæc Lutherus: nec alio fine, quam vt oſtendat, Diabolum poſſe Euangelizare, fungi officio Miniſtri & Paſtoris, porrigere Sacramentum, &c. Neque ego affirmare auſim, inquit Lutherus, Diabolum nunquam fuiſſe Paſtorem aut concionatorem.

Anti-